

fragillimae. Herbae annuae, lana acheniorum et pappus griseus vel rufescens. An genus proprium? An species hic distinctae nil nisi formae speciei unius polymorphae?

795. Scorzonera hemilasia Bge.

*S. (Epilasia) annua, canescenti-molliter pilosa, ramosa; ramis monocephalis ar-
rectis, foliis linearibus integerrimis carnosulis carinato-uninerviis, involucri basi incano-
tomentosi squamis exterioribus linearibus elongatis capitulum superantibus, acheniis a medio
lanuginoso-papposis basi 5-costatis ad costas retrorsum aculeolatis caeterum glabris.*

Hab. Am Jan-darja 3. Mai 1842 (floreus et fructificans).

Radix annua simplex exilis. Folia cotyledonaria basi hyalino-vaginantia, linearia pollice parum breviora. Caulis 3 — 5 pollices altus strictus, ramis 2 vel 3 mono-diphyllis erectis fastigiatis auctus, pube tenui elongata sat densa demum evanescente vel rarescente, patula, villosa-canescens. Folia caulina et ramealia anguste inearia, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ - pollicaria, linea parum latiora, imo angustiora, carnosula, carinato-uninervia, acutiuscula, apice subcartilaginea, utrinque pube fere arachnoidea canescentia. Capitula in caule primario ramisque solitaria pedunculata, pedunculo primario plerumque pollicari, ramealibus saepe brevioribus. Capitula ovato-oblonga, demum ovata, florentia plus quam semipollicaria, quasi foliis involucrata, squamae nempe exteriores 4 — 5 omnino foliiformes herbaceae virides carnosulae inaequales, extimae lineares, sequentes e basi dilatata subito acuminatae, aliae pollicares vel longiores aliae capitulum vix superantes, superne glabratae. Squamae involucri interiores plerumque 5, fere uniseriales ovato-oblongae membranaceae pallidiores, extus arachnoideotomentosae obtusiusculae, 6 lin. longae infra medium circiter $2\frac{1}{2}$ lin. latae. Flosculi circiter 12 — 20 pallide flavi, involucrum parum excedentes, tubo demum ruguloso, pilis articu-
latis paucis, ad basin ligulae crebrioribus longioribus adperso. Antherarum tubus violaceo-nigricans. Styli rami elongati, demum revoluti. Achenium cum pappo dimidio pollice vix longius, nigricans, basi brevi excavatum, costatum, costis retrorsum hispidulis, medio annulo calloso cinctum, ex quo oriuntur paleolae angustae, mox in lanam densissimam, basi parum contortiplicatam, caeterum rectam pappiformem et pappum fere aequantem, griseam omnino solutae; dimidia pars achenii supra anulum hunc sita lana obducta, ex ipso vero achenii apice oriuntur 5 setae pappi, basi lanato-plumosae, squamis achenii partem superiorem tegentibus basi simillimae, apice vero productae in setam fragilem, lanam parum excedentem pectinato-plumosam, acutissimam. Semen totam achenii cavitatem, excepta ima basi, explens. Ex singulari hac structura plantula nostra proprium genus forsitan constituere deberet, nisi sequentes species transitum ad *Euscorzoneram* (vel potius ad *Podospermum*), ita ut haec ad *Lasiosporam*, facerent. Quae quidem species tam proxime ad hanc accedunt, ut diu haesitaveram, nonne potius pro varietatibus unius speciei polymorphae habendae sint? Ex radice annua et involucri interioris squamis quinque subuniserialibus appropinquatur etiam sectioni *Pentachlamys* DC.

796. Scorzonera intermedia Bge.

Sc. (Epilasia) annua, canescenti molliter pilosa, caule monocephalo, foliis linearibus

oblongis trinerviis margine scabris, involucri basi canescentis squamis exterioribus ovato-oblongis acutis involucri interiori brevioribus, acheniis a medio lanuginoso-papposis sulcato-costatis; costis solidis puberulis.

Hab. In den Sandsteinschluchten zwischen Agatme und Karagata 16. April 1842 (florens et fructificans).

An praecedentis varietas? Exceptis signis in diagnosi indicatis praecedenti simillima. Folia minus carnosae. Achenia nondum matura, nec tamen nigricantia ut in illa; lana rufescens nec grisea. Si vero hanc pro antecedentis varietate haberem, etiam sequentes formas illi adjungere necesse erit.

797. Scorzonera acrolasia Bge.

Sc. (Epilasia) annua, canescenti-molliter pilosa; caule 1 — 3 cephalo, foliis ovato-oblongis tri-quinquenerviis margine undulato-crispis vel planis parce denticulatis, involucri basi canescentis squamis exterioribus ovatis involucri interiori brevioribus, acheniis ipso apice lanuginoso-papposis ecostatis subtetragonis basi scabriusculis.

Hab. In Jaman-Kisil-kum 22. April 1842; — ? im Kisilkum 29. April 1842 (flor. et fructificans).

Praecedenti praeter achenia simillima. Achenia vero diversissima, nondum matura cum pappo fere 8 lineas longa; achenio ipso $2\frac{1}{2}$ lineari, maxima ex parte nudo, parce puberulo, paulo infra apicem lanato-papposo. Pappi setae numerosiores, accedunt nempe setae 5 breviores a lanuginis squamulis haud omnino ad apicem usque in lanam solutis, vix distinctae; lana parvior, superne albida, basi rufescens. Specimen unicum in arenis Kisilkum collectum paululum abhorrens caule ramoso, ramis divaricatis, lana paulo crebriore, cinerascens-grisea, medium quasi inter hanc speciem et *Sc. ammophilam* m. (v. i.).

798. Scorzonera cenopleura Bge.

Sc. (Epilasia) annua, canescenti-tomentosa, ramosa; foliis lineari-oblongis utrinque attenuatis margine serrulato-scabris tri-quinquenerviis, involucri floccoso-tomentosi squamis exterioribus oblongo-lanceolatis inaequalibus aliis capitulum superantibus, acheniis a medio dense lanuginoso-papposis albo nigroque vittato-costatis; costis albis planis cavis.

Hab. In den Lehmgründen des südlichen Kisil-kum 29. April 1842 (florens et fructificare incip.).

Habitu robustiore, caule in uno e speciminibus tribus vix florente fere 10-pollicari, foliis 2 — $3\frac{1}{2}$ pollices longis, medio interdum usque ad pollicem dimidium latis, a caeteris abhorrens, praesertim vero distinctissima acheniorum structura. Achenii nempe pars inferior haud lanata brevis, $1\frac{1}{2}$ lin. circiter longa, lineam fere lata, costis 5 nigris, acutis, et inter has striis 5 albis, longitudinaliter cavis instructa, altera pars, huic longitudine aequalis, lana grisea fere semipollicari obiecta; pappi setae 5 fragillimae, demum eyanidae, apice pectinato-plumulosae lanam superantes.

799. Scorzonera ammophila Bge.

Sc. (Epilasia) annua, glaberrima, ramosa; foliis lineari-oblongis utrinque attenuatis